

de I. Omnia matrimonia hæreticorum Augustæ, et Ratisbonæ contracta esse nulla ac invalida, quia ibidem concilium Tridentinum est promulgatum, possuntque ibidem facile habere ordinarium aut parochum.

149. Inferitur II. Matrimonia hæreticorum contracta in Anglia, Scotia, Saxonia, Suecia, Frisia, Dania, Pomerania esse valida, quia juxta dicta n. 137, ibi nunquam fuit promulgatum concilium Tridentinum.

150. Inferitur III. Matrimonia hæreticorum contracta in Hollandia, aut ei unitis provinciis esse valida, ibi, ubi non est, nec haberi potest ordinarius aut parochus catholicus: secus, ubi haberi potest; quia in his provinciis concilium Tridentinum fuit promulgatum.

151. An matrimonia hæreticorum sint invalida ex eo, quod non sint sacramenta, vel dissolubiliter contrahantur? *Remissive.* — Quæritur V. An invalida sint matrimonia hæreticorum ex eo, quod non sint sacramentum, et dissolubiliter contrahantur? *Resp.* Hanc quæstionem ventilari infra. (ADNOTATIO LXXV.)

TITULUS IV.

De sponsa duorum.

1. *Ratio continuationis.* — Contingit nunquam quod quis cum duobus successive contrahat, hinc sequitur præsens titulus statuens, quid juris in hoc casu. Et quamvis præsentis tituli capitula tantum loquantur de illis, qui cum duabus de præsentis, seu ipsum matrimonium contrahere attentant, tamen canonistæ communiter hic etiam examinant casum, quo quis cum duabus sponsalia de futuro contrahit. Quos imitantes nos quoque faciemus, simulque de impedimento publicæ honestatis trademus.

2. *Duos maritos aut uxores simul habere, jure divino et humano illicitum, atque invalidum est.* — Quæritur I. Ad, et quomodo illicitum ac invalidum sit matrimonium cum duabus vel duobus, seu habere duas uxores, aut duos maritos. *Resp.* jure humano, canonico et civili, ac etiam divino illicitum invalidumque esse matrimonium cum duabus aut duobus simul. Unanimis ac certa catholicorum, de jure canonico patet toto

præsentis, tit. *de Sponsa duorum*, de jure civili habetur § 6, *Instit. de nuptiis*, ibi: « Eadem duobus nupta esse non potest: » et infra: « Duas uxores eodem tempore habere non licet, » cum concordantiis. De jure divino constat ex Matth. 19, estque definitum de fide a concilio Tridentino, sess. 24, can. 2, ibi: « Si quis dixerit, licere christianis plures habere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohibitum, anathema sit. »

3. *Ut proin nec consuetudo, nec dispensatio pontificia aliquid contra illud valeat.* — Inferitur proin cum unanimi doctorum, nec consuetudine, nec dispensatione pontificia fieri posse, quod quis habeat duas uxores, aut aliqua duos maritos; quia contra jus divinum consuetudo nec quidquam valet, c. fin. *de Consuet.* nec dispensatio pontificia per dicta lib. I, tit. II, *de Constit.* § 18, n. 433.

Nec obstat, quod in lege veteri patriarchis et Judæis plures uxores habere licitum et validum fuerit. *Resp.* enim cum c. *Gaudemus*: 8, *de Divortiis*, id divina dispensatione factum esse, quam concedere quamvis adhuc possit Deus, tamen de facto non concessit, sed potius Christus eam prius datam revocavit, Matth. 19.

4. *Pœna attentantium contrahere cum duabus.* — *Resp.* II. Qui vivente uxore matrimonium cum alia attentat, incurrit pœnam infamiæ, l. 1, in fine, *De his, qui nolantur infamia*, et l. 2, c. *de Incestis nupt.* ibi: « Neminem, qui sub ditione sit romani imperii, binas uxores habere posse, vulgo patet; cum etiam in edicto prætoris hujusmodi viri infamia notati sint. » Imo gladio et ultimo supplicio in romano imperio puniuntur, si secundum matrimonium consummaverint, juxta ordinationem Caroli V, art. 121. (ADNOTATIO LXXVI.)

5. *Si quis sponsalitia de futuro cum duabus contrahit, sponsalia posteriora etiam juramento firmata invalida sunt.* — Quæritur II. Quid juris? et cui adhærere debeat, si quis cum duabus, aut quæ cum duobus sponsalia de futuro contrahit, præsertim si cum sponsa secunda fornicatio, aut etiam imprægnatio intervenit? *Resp.* I. Si quis, vel quæ cum duabus, aut duobus sponsalia de futuro contrahit, nec copulam habuit cum secunda sponsa, irrita et nulla sunt sponsalia posteriora, etiamsi juramento sint firmata; consequenter adhærere tenetur priori sponsæ, si hæc velit. Abbas, in c. *Sicut*. 22, *de Spon-*

sal. et matrim. n. 8, et ibi Joan. Andreas, n. 4; Anchoranus, n. 3; Sanchez, lib. I, *de Sponsal.* disp. 50, eoque teste unanimis et certa aliorum, arg. cit. c. *Sicut. de Sponsal.* et c. *Unico de Sponsal.* in 6. Ratio est, quia, quod uni jam promissum est, ac vi promissi jure debetur, alteri promitti amplius non potest.

Nec obstat, quod secunda sponsalia quis firmet juramento; quia, cum tale juramentum sit in præjudicium tertii, illicitum et vinculum iniquitatis est, ac propterea obligatorium non censetur, arg. c. *Quanto*. 18, *de Jurejur.* can. *Inter cætera*, cau. 22, q. 4, cum concordantiis. « Nam non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum, c. 58, *de Reg. jur.* in 6. »

6. *Etsi eisdem accesserit copula, casu quo secunda sponsa conscia fuit priorum sponsalium.* — *Resp.* II. Etsi posterioribus sponsalibus accedat copula, aut etiam imprægnatio, nulla sunt et irrita, si cum primo quoque sponso aut sponsa habita fuit copula, aut posterior sponsus aut sponsa conscius fuit, quod matrimonium ei promittens, prius jam cum alia contraxerit sponsalia. Palao, *de Sponsal.* disp. 1, pun. 22, n. 5; Pontius, *de Sponsal.* lib. XII, cap. XIV, cum communi ac certa aliorum. Ratio primæ partis est, quia si cum prima quoque sponsa habita fuit copula, ejus utpote prioris jus majus est; tum per jura n. præced. allegata: tum per *Regulam* 54, *Jur.* in 6. « Qui prior est tempore, potior est jure. »

Ratio secundæ partis est, quia, si ea pars, cum qua contracta sunt posteriora sponsalia, conscia fuit priorum sponsalium, jam hoc ipso particeps fuit delicti iniquæ promissionis, ac nullitatis ejusdem; consequenter contra jus prioris sponsæ aut sponsi prætereundum nihil potest; præsertim cum decepta dici non possit, arg. l. 1, § 6, ff. *de Edilit. edict.*

7. *Imo etsi ignara fuerit priorum sponsalium.* — *Resp.* III. Etiam in casu, quo posterioribus sponsalibus accessit copula, et pars illa, cum qua posteriora sponsalia fuere contracta, ignara fuerit priorum sponsalium, consequenter vere decepta, valent sponsalia priora, adhærendumque est priori sponso aut sponsæ. Sanchez, *de Sponsal.* disp. 49, n. 5; Gutierrez, *de Matrim.* cap. XXVII, n. 7, in fine; Henriquez, lib. XI, *de Matrim.* cap. XIII, n. 3, et alii contra Palao, loc. cit. n. 6; Pontium, loc. cit. n. 4, arg. l. *Non dubium*. 5, §. *Sed et si.* c. *de Legib.* et c. *Illud. de*

Jure patronat. Ratio est, tum quia per injuriam posteriori illatam non debet, nec potest auferri jus suum priori. Tum quia magna aperiretur via fraudibus et dolis, dum quis liberari a priori sponsa, et cum alia conjungi cupiens, absque omni alia causa illico se liberare posset, spondendo nempe alteri matrimonium, et copulam cum eadem habendo.

8. *Et grave patiatur damnum, prior vero sponsa modicum aut nullum.* — Limitat quidem Sanchez, loc. cit. n. 6, et alii conclusionem in casu, quo posterior sponsa, grave, et non aliter quam matrimonio reparabile damnum patitur, e contra sponsa prior nullum, vel non nisi modicum damnum sentiret; tunc enim aiunt, hanc ea æquitate saltem, et charitate teneri cedere juri suo, et suscinere leve damnum illud, ut altera a gravi liberetur. Verum hanc limitationem saltem pro foro externo merito rejicit Gutierrez, loc. cit. n. 7. Tum quia nullo jure potest probari, ut, quod sibi de jure competit, alteri ex charitate relinquat, vel ad liberandum alterum a gravi malo jus suum derelinquat. Unde esto casus contingere posset, quod prima sponsa ad evitandum grave damnum secundæ in foro interno ex charitate teneretur, non apparet tamen, quo jure in foro externo ad id compelli posset.

9. *Solvitur objectio.* — Objicies cum adversariis, quando alicui prius venditur equus, et postea idem alteri venditur, simul et traditur, manet equus posteriori emptori, l. *Quoties. c. de Rei vendicat.* ergo idem dicendum de sponsalibus, eo quod accedente copula in secundis sponsalibus corpus quali actu tradatur. *Resp.* negando consequ. et paritatem. Disparitas est: tum quia, illud, non item hoc in jure expressum habetur. Tum quia per copulam corpus non ita traditur sponsæ secundæ, sicut equus secundo emptori; cum per copulam sponsalia sequentem non amplius efficiatur matrimonium, sicut erat ante concilium Tridentinum, c. *Veniens*. 15, et c. *Is qui fidem et sponsal. et matrim.* consequenter etiam post copulam talem sponsa secunda nullum jus acquirat in corpore sponsi, nec illo ante matrimonium licite uti potest, uti equo statim licite uti, et de eo pro libitu disponere post traditionem potest secundus emptor.

10. *Impedimentum publicæ honestatis, quid?* — Dices, quando unus agit de damno vitando, et alter de lucro quærendo, potius

favendum est illi, quam isti per vulgaria; atqui in casu nostro secunda sponsa agit de damno vitando, et prima de lucro acquirendo; ergo illi magis, quam isti favere oportet. Resp. negando minor., quia, qui jam habet jus quæsitum ad aliquam rem, illamque prosequitur, non amplius de lucro quærendo, sed de damno vitando agit, cum omissio lucri, aut juris jam quæsitum et radicatum sit, ut bene ostendit Gonzalez, *Ad Regul. 8; Cancellar.; Glossa, n. 17, et seqq.*

Quæritur III. Quid sit, unde proveniat, quousque se extendat, et quid operetur impedimentum publicæ honestatis? Resp. I. Impedimentum publicæ honestatis est impedimentum jure ecclesiastico dirimens matrimonium cum consanguineis sponsi aut sponsæ. Ita in re communis, patebitque ex dicendis. Ratio introducendi hoc impedimentum fuit: quia honestati et decentiæ inconveniens videbatur, quod sponsus aut sponsa matrimonialiter conjungeretur alicui, cujus consanguineo prius jam, etsi non carne, mente tamen et animo per sponsalia erat conjunctus. Hinc pro exigentia honestatis naturalis statuit ecclesia, ut, si quis habuit sponsalia cum aliqua, non possit amplius matrimonium contrahere cum ejus consanguinea, c. *Ad audientiam, 4, c. Sponsam, 8, de Sponsal. et Matrim. can. Si quis desponsaverit, 11, can. Si quis uxorem, 4, cau. 27, quæst. 2, c. un. de Sponsal. in 6, et alibi.*

11. *Oritur ex sponsalibus de futuro et de præsentibus, seu matrimonio rato.* — Resp. II. Impedimentum publicæ honestatis provenit non tantum ex sponsalibus de futuro, sed etiam de præsentibus, seu ex matrimonio rato nondum tamen consummato. Quod oriatur ex sponsalibus de futuro est certum, patetque aperte ex juribus n. præced. allatis. Quod autem etiam ex sponsalibus de præsentibus, seu matrimonio rato consurgat, tenent Abbas, in cit. c. *Sponsam, 8, h. t. n. 1, et ibi Joan. Andreas, prin.; Fagnanus, in c. Ad audientiam, h. t.; Sanchez, lib. VII, disp. 70, n. 1, cum communi aliorum. Quamvis enim clarus textus de hoc non habeatur, tamen non obscure desumitur ex cit. can. Si quis desponsaverit, 11, et can. Si quis uxorem, 14, cau. 27, q. 2, et c. Ad audientiam, h. t. uti advertit Pontius, lib. VII, cap. xxxv, n. 2. Ratio desumitur a minori ad majus; quia, cum conjunctio animorum ex matrimonio rato major et fortior sit ea, quæ pro-*

venit ex sponsalibus de futuro, magisque contra honestatem sit, accipere consanguineam uxoris, quam sponsæ, consequens est, quod, si ob honestatem sequatur impedimentum ex sponsalibus de futuro, a fortiori sequatur ex sponsalibus de præsentibus, seu matrimonio rato nondum consummato inter maritum et consanguineos uxoris, et reciproce inter uxorem et consanguineos mariti; præsertim, quia aliud inter hos impedimentum ostendi non potest; cum ex matrimonio solummodo rato, et nondum consummato affinitas non oriatur per dicenda infra.

12. *De jure antiquo ex omnibus etiam invalidis sponsalibus oriebatur impedimentum publicæ honestatis usque ad quartum gradum inclusive.* — Resp. III. Quamvis olim de jure antiquo impedimentum publicæ honestatis consurgeret ex quibusvis sponsalibus de futuro et præsentibus, etiam invalidis (dummodo invalida non essent ex defectu consensus) textu expresso c. un. *de Sponsal. et Matrim. in 6. Et quidem inter sponsam et consanguineos sponsi, ac vicissim inter sponsum et consanguineos sponsæ usque ad quartum gradum, ut docet Abbas, in cit. c. Sponsam, n. 4; Glossa, in c. un. de Sponsal. in 6, §. Consanguinitatis, et ibi Joan. Andreas, n. 4; Anchoranus, n. 3; Sanchez, lib. VII, disp. 68, n. 9, cum communi aliorum, arg. cit. c. Sponsam, 8, de Sponsalib. ubi universaliter ita disponitur: « Sponsam alterius nullus consanguineorum aliquo modo sibi potest matrimonio copulare. » Intelligit de consanguineis usque ad quartum gradum instar affinitatis, arg. c. *Non debet, 8, §. Prohibitio de Consanguinit. et affinit.**

13. *Jure novo Tridentino ex sponsalibus de futuro invalidis, non consurgit, bene tamen ex validis, sed non ultra primum gradum dirimit.* — Tamen jus antiquum a concilio Tridentino hodie est correctum, quoad impedimentum proveniens ex sponsalibus de futuro, ita, ut ex his quacunque ratione invalidis, non amplius oriatur dictum impedimentum, ex validis autem consurgens non nisi ad primum gradum dirimat, prout expresse habetur sess. 24, *de Reform. matrim. cap. III, ibi: « Justitiæ publicæ honestatis impedimentum, ubi sponsalia quacunque ratione invalida erunt, sancta synodus protus tollit: ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedant; quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest hujusmodi*

prohibitio absque dispendio observari. » Quæ verba, cum sint clara, nec explicacionem, nec probationem aliam requirunt.

14. *Impedimentum tamen honestatis publicæ ex matrimonio rato proveniens, procedit adhuc juxta juris antiqui dispositionem.* — Resp. IV. Allegatum n. præced. Decretum concilii Tridentini solummodo locum habet in sponsalibus de futuro, non item de præsentibus; adeoque sicut antiquo jure ex matrimonio rato nondum consummato, quacunque ratione invalido (dummodo non fuerit invalidum ex defectu consensus) oriebatur impedimentum publicæ honestatis inter sponsam et consanguineos sponsi usque ad quartum gradum inclusive per dicta n. 12. Ita etiamnum res se habet concilio Tridentino circa impedimentum ex sponsalibus de præsentibus, seu ex matrimonio rato proveniens, nihil immutante; Fagnanus, in c. *Ad audientiam, de Sponsal. n. 20; Sanchez, lib. VII, disp. 70, n. 5, dicens, id certissimum esse. Pontius, lib. VII, cap. xxxv, n. 5, ad finem; Palao, de Sponsal. disp. 4, pun. 10, n. 3, cum communi aliorum. Fundamentum est, quia ita expresse declaravit Pius V, in decreto 1568, emanato, quod incipit *ad Romanam*, et habetur in *bullario Cherubini*, tom. II, constit. 62, dicti pontificis, ibi: « Motu proprio auctoritate apostolica tenore præsentium declaramus, et definimus decretum concilii hujusmodi omnino intelligendum esse, et procedere de sponsalibus de futuro duntaxat, non autem in matrimonio sic, ut præfertur, contracto, sed in eo durare adhuc impedimentum in omnibus illis gradibus et casibus, in quibus de jure veteri ante prædictum decretum concilii introductum erat. Et ita ab omnibus judicari debere, mandamus, atque statuimus. »*

Rationes etiam sui decreti ibidem allegat Papa. Prima est, quod sponsalium appellatione, qua dictum concilium utitur, non nisi improprie matrimonium verbis de præsentibus conceptis contractum continetur. Secunda est, quod hic agitur de correctione juris veteris, quo casu secundum proprietatem verborum duntaxat procedendum est. Tertia et præsertim, quod longe majorem rationem prohibitionis in matrimonio per verba de præsentibus contracto, quam in sponsalibus de futuro vigere, a nemine dubitetur. Hinc ob clarissimam, simul et rationabilissimam legem Pii V, rationes adversariorum olim ap-

parentes nec adducere, nec solvere amplius necesse videtur.

15. *Ex sponsalibus de futuro oritur dictum impedimentum, eis postea solvantur sponsalia ex aliqua causa.* — Resp. V. Ex sponsalibus de futuro semel valide oritur, et manet impedimentum publicæ honestatis, etsi dein ex aliqua causa, vel etiam mutuo consensu iterum dissolvantur. Quod maneat impedimentum, si non mutuo consensu, sed ob aliam causam, v. g. mortem, fornicationem, aut notabilem mutationem unius ex sponsis solvantur, fatentur satis communiter, arg. cit. can. *Si quis desponsaverit, 11, can. Si quis uxorem, 14, cau. 27, q. 2, c. Sponsam, 8, de Sponsal.*

16. *Vel mutuo consensu.* — Quod autem adhuc maneat, si mutuo consensu sponsum solvantur, gravis erat olim controversia inter doctores. Barbosa siquidem *de Offic. et potest. Episc. Allegat., 51, num. 188; Palao, de Sponsal., disp. 4, punc. 10, num. 9; Pontius, lib. VII, cap. xxxvi; Gutierrez, de Matrim., cap. III, num. 11; Hurtado, disp. 21, Difficult., 1, n. 5; Engel, de Sponsal., § 6, num. 3, id negant. Tum quia juxta concilium Tridentinum invalida sponsalia non inducunt impedimentum, sed quæ mutuo consensu solvantur, sunt invalida, juxta omnes, ergo; tum quia declaravit sacra congregatio juxta ipsos.*

E contra Sanchez, lib. VII, disp. 68, n. 21; Layman, lib. V, tract. X; Fagnanus, in c. *Ad audientiam de Sponsal., num. 29; Perez, de Matrim., disp. 8, sect. 2, n. 4 et alii affirmant, quibuscum etiam sentimus. Ratio est, quia ex sponsalibus validis oritur memoratum impedimentum juxta concilium Tridentinum, numer. 12, allegatum; sponsalia autem, quæ postea consensu mutuo solvantur, ab initio fuere valida; ergo ex eis oriebatur impedimentum, et semper durat; cum nec ex jure nec ratione ostendi queat, quare cesset; præsertim quia sponsalibus etiam mutuo consensu solutis, ratio motiva constituendi memoratum impedimentum honestas nempe naturalis supra num. 10 allegata adhuc perseverat.*

17. *Probabitur ex declaratione cardinalium.* — Accedit, et nostram doctrinam certam reddit recentissima, eaque authentica declaratio cardinalium 1658, edita, et ab Alexandro VII approbata, quam refert Fagnanus, loc. cit., et Gobath, tract. IX, casu 15 numer. 358, de qua declaratione ita

refert Fagnanus. « Alphonsus Ruiza, et Isabella Rodriguez. Pacen., diœcesis sponsalia per verba de futuro inter se contraxerunt; sed cum antequam se nupsissent, aut simul loquerentur, Isabella gravi morbo correpta fuisset, se invicem a promissione, et juramento absolverunt: nunc autem Alphonsus volens contrahere cum Maria sorore germana dictæ Isabellæ dubitat, an ex sponsalibus cum Isabella contractis, et mutuo consensu dissolutis ortum sit publicæ honestatis impedimentum? Sacra congregatio censuit, sponsalia hæc, cum a principio valida fuerint, induxisse impedimentum publicæ honestatis, licet mutuo consensu dissoluta; quia concilium hoc solum desiderat, quod a principio valida sint; et quia a principio valida, deinde dirempta per mortem, id impedimentum inducunt, ita et dissoluta consensu. Et novissime, juvante sanctissimo domino nostro propositum fuit in sacra Congregatione concilii, an sponsalibus valide ab initio contractis, dein mutuo consensu dissolutis, sit sublatum impedimentum justitiæ publicæ honestatis. Et pluries proposito dubio, ac mature examinato, tandem sub die sexta julii, 1658, Eminentissimi patres in antiqua ejusdem congregationis sententia consistentes censuerunt non esse dubium. Cujus sententiæ una cum rationibus hinc inde deductis, et recentioribus ejusdem congregationis in hac responsis, facta relatione ad sanctissimum, sanctitas sua die 10, ejusdem mensis prædictam congregationis resolutionem probavit, eamdemque jussit in dubium deinceps non revocari.

Ex quo patet, quod declaratio ab adversariis, allegata vel legitima non fuerit, vel si fuit, per subsequentem et a pontifice approbatam infirmata, consequenter doctrina nostra stabilita habeatur.

18. *Solvitur objectio.* — Nec obstat, quam ex concilio Tridentino desumere nituntur, ratio, quia concilium, dum dixit ex sponsalibus invalidis non oriri impedimentum publicæ honestatis, loquebatur de illis, quæ statim ab initio fuere invalida, non autem de illis, quæ ab initio valida, postea ex aliqua causa, aut mutuo consensu fuere dissoluta: alias certa etiam cessaret impedimentum, si sponsalia morte unius sponsi solvantur, quod est contra omnes etiam adversarios.

19. *Ex sponsalibus gravi metu injuste incusso initis non oritur impedimentum publicæ honestatis.* — Resp. VI, Ex sponsalibus de

futuro gravi metu injuste incusso initis nullum sequitur impedimentum publicæ honestatis. Conclusio patet ex dictis lib. I, tit. XL, de *His, quæ vi, metusque causa*, § 3, a num. 44, ubi probavimus, talia sponsalia esse ipso jure nulla, consequenter nullum inducere impedimentum, cum hoc non nisi ex validis sequatur sponsalibus, per dicta num. 42. (ADNOTATIO LXXVII.)

TITULUS V.

De conditionibus apposis in desponsatione, vel in aliis contractibus.

1. *Ratio ordinis.* — Actum est hucusque de sponsalibus, et matrimonio pure, seu absolute contractis. Verum quia ea, sicut et alii contractus nonnunquam etiam sub conditione fiunt, ideo præsens titulus subjungitur, et quoniam conditioni valde æquus est modus, causa ac demonstratio, etiam de his ad finem agetur.

§ I.

DE NATURA, ET DIVISIONE CONDITIONIS: UBI ETIAM DE SPONSALIBUS ET MATRIMONIO SUB CONDITIONE POSSIBILI: HONESTA: ET IN SPECIE: *Si Papa dispensaverit: VEL Si virginem te invenero.*

2. *Varia acceptio conditionis.* — Notandum prius, terminum *conditio* habere varias significationes. Aliquando enim sumitur pro statu personæ, § fin. *Instit. de Jure person.*, ibi: « Si servorum conditione nulla est differentia. » Subinde sumitur pro optione, seu electione, l. *Papianus*, 8, § *Si quis*, 12, de *Inoff. testament.* Interdum sub modo, c. *Verum*, 4, h. t., ordinarie vero, et prout in præsentibus agitur, sumitur pro aliqua circumstantia alicui dispositioni adjecta, a cujus existentia dependere volumus actum, seu dispositionem. Hinc.

3. *Conditio propria quid?* — Quæritur I. Quid ad præsens, et quotuplex sit conditio? Resp. I. Conditio ad præsens est adjectio dispositioni, id est, actui, vel contractui apposita, vel subintellecta suspendens, aut resolvens ipsam dispositionem, quæ sub ea fit. Abbas, et Baldus, in *Rubr. h. t.*, cum com-

moni arg. § *sub conditione Inst. de Verb. obligat.* Quæ conditio ordinarie exprimitur per particulam, *Si*, v. g. « Si pater consentiat; Si Titius consul fiat, etc. » Cæterum conditionis descriptio data patebit ex sequenti conclusione.

4. *Alia tacita, alia expressa.* — Resp. II. Conditio varie dividitur. Et quidem primo in expressam et tacitam. Expressa est, quæ verbis expressis apponitur; tacita vero, quæ actui inest, etsi non exprimitur: hinc in definitione additum est, vel subintellecta. Tacitæ aliæ sunt generales, quæ nempe quivis contractui tacite insunt, v. g. « Si Deus voluerit; si potero, etc. » Aliæ speciales, quæ alicui contractui in specie insunt, ut in sponsalibus, « si nullum intervenit impedimentum: si res in eodem statu permanserit. »

5. *Alia de præsentibus, alia de præteritis, alia de futuro, quæ ultima sola est conditio propria.* — Secundo. Alia conditio est de præsentibus, alia de præteritis, alia de futuro. Conditio de præsentibus est, quæ circumstantiam pro præsentibus tempore, quo fit contractus, denotat, v. g. « Promitto tibi matrimonium, si virgo es: vel si non corrupta. » Conditio de præteritis est, quæ circumstantiam jam præteritam respicit, v. g. « Contraham tecum, si navis ex India jam advenit. » Et conditio de futuro est, quæ circumstantiam primum eventuram denotat, et donec eveniat, dispositionem; et obligationem suspendit, eaque non eveniente dissolvit, arg. cit. § *Sub conditione*, 4. *Instit. de Verb. obligat.* Et hæc de futuro est proprie conditio non item de præsentibus, vel præteritis, lib. *Institutio*, 40 ff., de *Condit. instit.* ibi: « Cum nulla sit conditio, quæ in præteritum conferatur, vel quæ in præsens; veluti, si rex Gothorum vivit. Si navis in portu stat. » Ratio est, quia de natura veræ conditionis est, suspendere valorem actus, et obligationis ejus, atque facere, ut actus possit subsistere vel deficere, juxta existentiam nempe vel defectum conditionis; hoc autem non facit conditio de præsentibus, aut præteritis, l. *Cum ad præsens*, ff. de *Reb. Credit.* et § *Conditiones*, 6. *Instit. de Verb. obligat.*, ibi: « Conditiones, quæ ad præsens, vel præteritum tempus referuntur, veluti; si Titius consul fuit. Si Mævius vivit, dare spondes? Nam si ea ita non sunt, nihil valet stipulatio; sin autem ita se habent, statim valet. »

6. *Alia necessaria: alia contingens: alia*

potestativa: alia casualis: alia mixta. — Tertio. Conditio de futuro rursus dividitur in necessariam, et contingentem. Necessaria est, quæ necessario eveniet, v. g. « Si cras sol orietur, hoc faciam. » E contra contingens est, quæ potest evenire, vel non. Et hæc subdividitur in potestativam, casualem, et mixtam. Potestativa est, quæ est in potestate illius, cui apponitur, ita, ut, si velit eam adimplere, omnino possit, arg. l. II. ff. de *Condit. et demonstr.* Casualis est, quæ non dependet a voluntate illius, cui apponitur, sed alicujus tertii, vel Dei, v. g. « Ducam te, si hic annus frugifer erit. » vel, « si princeps mihi illud officium conferat. » Mixta est, quæ de utraque participat, ita ut partim a voluntate illius, cui apponitur, partim ab alio dependeat, arg. l. *Si pater. c. de Instit. et substit.*

7. *Alia possibilis: alia impossibilis.* — Quarto. Rursus conditio alia est possibilis, alia impossibilis. Illa est, quæ evenire potest. Hæc est, quæ vel naturaliter fieri nequit, vel a lege prohibita est; quia etiam illa, quæ de jure nequeunt fieri, impossibilia vocantur, per dicta lib. I, tit. XL, n. 46.

8. *Alia honesta: alia turpis.* — Quinto. Insuper conditio alia est honesta, alia inhonesta, seu turpis. Honestas est, quæ nulla lege prohibita invenitur. Inhonestas seu turpis, quæ contra legem divinam, aut naturalem, vel humanam est.

9. *Tandem alia suspensiva: alia resolutive.* — Tandem alia est suspensiva, alia resolutive. Suspensiva est, quæ suspendit actum, donec conditio eveniat, estque futura contingens, de qua supra n. 5. Resolutive est, quæ non obstat, quin actus statim valeat, facit tamen, ut resolvatur et pereat, non quidem si conditio deficiat, sed eveniat, arg. l. 3. ff. de *contrah. Empt.* quæ tamen propria conditio non est, hoc ipso quod actum non suspendat.

10. *Conditio necessaria habetur pro non adjecta.* — Quæritur II. Quid efficiant conditiones necessariae? Item conditiones impossibiles de præteritis, vel præsentibus? Resp. I. Conditio necessaria quæcumque etiam de futuro concepta, sponsalibus, matrimonio, vel alii contractui adjecta non vitiat actum, nec suspendit, sed facit, quod actus, seu contractus illico valeat, ac si nulla conditio apposita fuisset, D. Bonaventura, in 4, dist. 28, q. 3, n. 1; Abbas, in c. in fine; San-